

9 Nihil refragante d. l. quid ergo 3. §. 6. aut l. à Diuo Pio 15. §. ult. præterquam enim, quòd diversimodè hi textus exponantur, magna est discrepantia inter Prælatum & tutorem, dum ille largiorem & pleniorè, hic strictam & valde limitatam potestatem habet, tene-

turque etiam invitus pecuniam, et si specialiter ad hoc destinata non fuerit, in comparationem prædiorum, si ita exegerit utilitas pupilli, collocare l. tutor 7. §. 3. ff. de Administrat. & pericul. tutor.

QUÆSTIO II.

An actiones personales inter res mobiles recenseri, & liberè alienari possint?

10 Dixi in hoc cap. num. 17. actiones æstimari ex objecto, easque, quæ tendunt ad res immobiles petendas, rebus immobilibus accenseri. Quòd quidem contradictionem non patitur in actionibus realibus, sed tantum in personalibus, quas Joannes Voëtius ad tit. ff. de R. D. num. 21. simpliciter refert
 11 inter res mobiles: tum quia per illas non semper res ipsa, sed frequenter ejus usus duntaxat, aut implementum facti personalis
 12 exigitur: tum quia actio personalis passivè solam debitoris personam afficit, & sic à persona, quæ mobilis est, suòque arbitratu domicilium mutare potest, mobilis censeri
 13 debet: tum quia in ordine ad liberationem ab onere satisfaciendi non censetur mobilia possidere, qui tantum personalem fundi petitionem habet l. sciendum 15. §. 4. ff. Qui satis dare cog.
 14 Clariss. D. Herz cit. l. num. 8. existimat, Voëtio quoad illas actiones personales, quæ obligationem ad factum quoddam supponunt, deterreri posse: cum id transitorium sit, aut primò perficiendum; adeoque in rerum
 15 natura non existat. At, si actio personalis tendat ad rem immobilem petendam, non potest non ut res immobilis à suo objecto considerari: cum enim in l. is qui 15. ff. de R. F. dicatur, eum, qui actionem habet, ipsam rem habere videri, utique actio personalis, habens pro objecto rem immobilem,

debet & ipsa immobilis reputari, non quidem in rei veritate, sed juris fictione & censura; sicut usufructus & servitutes reales, licet sint res incorporales, ex prædio, in quo constitutæ nascuntur, rebus corporalibus & immobilibus ex juris fictione & censura adscribuntur.

Quà distinctione supposita, non obest prima ratio Voëtio; ut nec obest secunda, dum actio personalis quoad præsens negotium non denominatur ab objecto immediato, seu persona, sed à mediato, seu re immobili, quam creditor seu petitor juris intellectu jam habere videtur d. l. is qui 15. & l. id apud 143. ff. de V. S. Neque etiam obest tertia: quia in satisfactione non respicitur ad juris fictionem, sed ad veritatem & rem ipsam: qua de causa eum quoque, qui tantum usufructum habet, possessorem non esse, Ulpianus scripsit in d. l. sciendum 15. §. 1. ff. Qui satisfacere cog.

Conficitur exinde, Prælatum Ecclesiasticum, qui, numeratò pretiò, emit fundum, necdum sibi traditum, non posse suam actionem personalem ex empto, prætermittis solennitatibus, alienare; ex eo etiam præcipuè, quòd Ecclesiæ aliisque pia loca dominium rei emptæ citra traditionem ipsò jure consequantur l. ut inter 23. in pr. & §. 1. Cod. de SS. Eccles.

QUÆSTIO III.

Utrum S. Pontifex in alienatione rerum, ad Ecclesiam Romanam spectantium, teneatur adhibere consilium aut consensum Cardinalium?

19 Symmachus Papa, qui sedit Romæ Anno 499. in cap. non liceat 20. XII. q. 2. constituit, quòd non liceat Papa prædium Ecclesiæ alienare aliquò modò pro aliqua necessitate, nec in usufructum dare, nisi tantummodò domos, quæ in quibuslibet urbibus non modica impensa sustentantur. Renovavit & extendit hanc constitutionem Gregorius IX. in Bulla, quæ incipit: Rex excelsus, datà die 16. Januarii. 1234. ad quæcunque bona patrimonialia Ecclesiæ Romanæ, ut alienatio non valeat, nisi concurrat S. R. E. Cardinalium consilium & consensus.
 21 Contra has constitutiones, uti differit in formalibus Eminentiss. Petra tom. 2. ad Const. Apost. pag. 529. n. 15. insurgit viva & conve-

niens ratio, quòd nullò modò potuerint successores Pontifices cogere, & comprehendere: cum Papa sit solutus legibus, nec par in parem habeat imperium, ut præcisè fuit dictum ab Innocentio III. in cap. innovavit 20. de Elect. Bonif. VIII. in cap. ult. de Rescript. in 6. ubi Glossa verb. judicamus & c. Fagnanus in cap. ex parte de Feud. n. 23. & seqq. & in cap. omnis de Pœnit. & remiss. n. 25. & in cap. omnium 1. de Const. n. 60. Solent namque hujusmodi Leges quoad successores Pontifices importare consilium, ut in his terminis tradit Card. de Luca in Annot. ad disc. 4. de Feud. n. 1. & 2. & generaliter in Relat. Cur. Rom. disc. 2. num. 30. Plura videri poterunt apud cit. Petram in num. seqq.

DE JURIBUS ECCLESIASTICIS.

CAPUT I.

De Juribus Episcopalibus.

SUMMARIA.

1. Exemptio à Jurisdictione Episcopali debet probari. 2. Notatur varietas exemptionis. 3. Acquiritur privilegio aut prescriptione. 4. & seqq. Examinatur privilegium & ejus operatio. 9. & seqq. Disquiritur, qualis debeat esse prescriptio. 13. & seqq. Episcopis incumbit visitatio diocesis. 16. & seqq. Debent etiam visitare limina. 22. & seqq. Possunt

exigere subsidium charitativum, si redditus non sint abundantes. 24. Licet habeant bona patrimonialia. 25. Tenentur ad illam Clericis beneficiati, gaudentes sustentatione congrua. 26. & seqq. Deducunt de pensionibus suarum ratam. 28. & seqq. Quid sit quantitas moderata? 30. & seqq. Exponitur Extravag. vas electionis de Censib.

QUÆSTIO I.

Qualiter acquiratur exemptio à Jurisdictione Episcopi?

1 Jurisdictio Episcopalis tam excelsa, diffusa, & ampla est, ut ex Juris fortissima præsumptione & assistentia comprehendat omnes personas & loca, quæ intra fines diocesis existunt, nisi ex adverso probetur exemptio, veluti patet ex hoc cap. num. 3.
 2 Ista exemptio duplex est, passiva & activa; & activa rursus bifaria, propria & impropria, prout jam supra ad lib. 1. tract. 5. cap. 6. à num. 13. de Prælatorum, Episcopò inferiorum, Jurisdictione explicatum est.
 3 Qualescunque autem sit exemptio, illa acquiritur vel privilegio, vel prescriptione juxta cap. cum dilectus 8. in fine de Religios. dom. cap. cum persona 7. de Privileg. in 6. Quod attinet privilegium, illius verba, & clausulæ comprimis examinari debent, ut constet, an & qualis exemptio fuerit concessa per cap. si Papa 10. d. 1. in 6. Nam, si S. Pontifex solummodò aliquam Ecclesiam aut locum Religiosum vel Monasterium sub protectione & defensione Sedis Apostolicæ recipiat, aut personas aliquas in filios assumat, nulla exinde convincitur exemptio d. cap. si Papa 10. cap. ex parte 18. X. de Privileg. sicut alias protectio vel tutela nihil habet cum Jurisdictione commune. Josephus de Prosperis in tr. de Territor. separ. quest. 2. num. 5. & seqq. Si verò dicatur in privilegio, quòd v. g. Ecclesia sit exempta, aut juris Beati Petri existat, seu ad jus & proprietatem Romanæ Ecclesiæ pertineat, aut sit libera, vel in recognitionem libertatis annum censum Pontifici solvat; vel quòd Episcopus non audeat ibi Cathedralam collocare, aut imperandi potestatem exercere, passiva exemptio abundè nascitur fuisse concessa. d. cap. si Papa 10. Eminentiss. Petra ad Const. Apostol. 10. 2. pag. 136. num. 41. & seqq. Ad exemptionem acti-

vam & propriam cum vera qualitate nullus non sufficit qualiacunque verba, sed requiruntur ita prægnantia, ut nullam dubitationem admittant; puta si solvatur territorium Episcopi, & concedatur Prælato inferiori omnimoda & ordinaria Jurisdictio in Ecclesiis & ejus membra ac populum cum assignatione finium. Card. de Luca de Jurisdictione disc. 1. num. 12. Card. Petra d. l. pag. 137. num. 46. Fagnanus ad cit. cap. cum dilectus de Religios. dom. num. 21. & 23. Josephus de Prosperis cit. quest. 2. num. 18. ubi testatur, hanc semper constantem & conformem fuisse opinionem Rotæ. Alioquin, nisi hi aut similes adeò importantes termini reperiantur, licet Prælato omnia Jura Episcopalia tribuantur, erit exemptio solum activa impropria. Petra d. l. pag. 139. num. 50. Fagnanus in cap. nullus de Paroch. num. 40. & seqq. Rota in recent. p. 1. decis. 324. num. 7. & p. 11. decis. 373. n. 21. & in Firmiana 17. Martii 1702. §. 13. coram D. Molinas Decano.

Deveniendò ad prescriptionem, omninò certum est, quòd exemptio passiva prescribi possit 40. annorum spatìò cum titulo colorato juxta cap. cum persona 7. de Privileg. in 6. Imò etiam solus lapsus 40. annorum ex deductis per Petram cit. l. pag. 141. num. 60. & seqq. & tom. 1. pag. 362. n. 42. & seqq. sufficere videtur ad acquirendam exemptionem activam impropriam quoad aliquos actus Jurisdictionis Episcopalis; dummodò illis non specialiter & vehementer resistat Jus, uti resistit Concilium Tridentinum sess. 24. de Reform. cap. 20. §. adhas & c. quoad cognitionem matrimonialium & criminalium, & multò magis in sess. 23. de Reformat. cap. 15. quoad facultatem approbandi Confessarios, ubi nequidem titulus cum quadraginta annis prescriptio-

11 ptionem operari valet: quamvis & in hoc passu DD. non conveniant, dum permulti ad præscribendam exemptionem activam propriam cum vera qualitate nullius & omnimoda Jurisdictione Episcopali sufficere putant quadragenariam cum titulo colorato, uti videre est apud Petram d. 10. 2. pag. 143. num. 65. qui tamen in num. 67. requirit im-

12 memorabilem aut centenariam. Confe-

ratur etiam Josephus de Prosperis d. 1. q. 3. à n. 21. ubi & apud eundem Petram, nec non Cardinalem de Luca de *Jurisdic. d. disc. 1. num. 11. & disc. 12. num. 17. & in Miscellan. Eccl. disc. 1. n. 94. & de Præminent. disc. 22. num. 4.* deprehendere licet, multum in hac re DDres variare: ut aded in præsentiarum nomine meam opinionem categoricè explicare, sed eam alii tempori & occasione reservare malim.

QUÆSTIO II.

Quandònam & quomodo jus visitandi exercere debeant Episcopi?

13 Quædam ad propositum adnotavi in hoc cap. à num. 14. Labet etiam ex noviss. Concil. Rom. tit. 8. cap. 1. sequentia adducere. *Quam quidem Visitacionem, ait S. Synodus, ad Concilium Tridentinum sess. 24. de Reformat. cap. 3. præscriptum, annuatim, vel saltem infra biennium, ubi tamen ampla sit Diocesis, Episcopi per se ipsos vigilantissime impleant, nec unquam per alios, nisi gravis urgeat necessitas, aut impedimentum adesse contingat, ut absque maximo & evidenti publica vel propria salutaris discrimine, ab eo onere non excusentur.* Cùmque alios ad munus hoc obendum delegare oportuerit, cura sit ipsis diligenti, ut viros Ecclesiasticos, quorum saltem aliqui sint Presbyteri, probos, pios, ac doctos, manusque ab omni munere excusatas habentes, eligant, ac dimittant; quique attentè, cum Ecclesiarum ac subditorum fructu, suo muneri, Conciliique menti satisfaciant.

14 Formam, seu adumbrationem Visitacionis, ejusque capita quoad loca, res, munera, personas &c. per aliquot folia describit Pignatell. in *Compend. Consult. sub verb. Visitatio pag. m. 272. & seqq.* Idem præstat Monacelli in *formulari leg. præct. in Append. pars. I. pag. m. 504. & seqq.* Matthæucci in *Officiali Cur. Eccl. cap. 55. & seq.* item Gavantus in *Enehirid. seu Manuali Episcoporum. p. 2.* ubi praxin subjicit visitandæ Civitatis & Diocesis.

15 Porro Episcopi obstringuntur ad aliam Visitacionem, non Jurisdictionalem, sed obedientialem, nempe ad visitanda limina Apostolica, & faciendam Summo Pontifici relationem de statu suarum Diocesium; & quidem Episcopi Itali, vel ex Italicis insulis,

unde Italiam commodius trajici potest, veluti Siculi, Sardi, Corsi & aliæ adjacentium provinciarum Italicæ, atque etiam Dalmatiæ & Græcarum singulis triennis; Episcopi verò Germaniæ, Galliæ, Hispaniæ, Belgarum, Bohemiæ, Hungariæ, Poloniæ, Angliæ, Scotiæ, Hiberniæ, & cæteri omnes, qui in Europa sunt circa mare Germanicum & Balticum, atque omnium insularum maris Mediterranei singulis quadriennis: Episcopi autem, qui intra Europæ fines sunt his provinciis remotiores, & insularum maris Oceani, septentrionalis, & occidentalis Europæ & Africæ, citra continentem novi orbis, tam qui nunc sunt, quam qui ad Catholicam fidem per misericordiam DEI aliquando redierint, singulis quinquenniis; Episcopi demum Asiatici, & qui extra Asiam & in aliis novis terris Orientalibus, Meridionalibus, Occidentalibus, & septentrionalibus, tam in insulis quam in continentibus, & denique in quibuslibet mundi partibus existentibus, singulis deceniis; ad quam Visitacionem se adstringunt jurejurandò in sua ordinatione, spondentque, quòd personaliter venire, aut, si legitimò impedimentò detineantur, nuntium, ad hoc speciale mandatum habentem, dirigere velint; sicuti conspiceret licet in Pontificali Romano sub tit. de *Consecras. electi in Episcopum.* Prostat de ea constitutio Sixti V. incipiens *Romanus Pontifex*, edita Anno 1585, de qua meminit Concil. Roman. noviss. tit. 13. c. 1. & in *Append. pag. 195. & seqq.* subjicit Instructionem S. Congr. Conc. pro formandis relationibus, in plura capita distinctam.

QUÆSTIO III.

Qualiter Episcopi subsidium charitativum exigere valeant?

22 Multa in compendio retuli hoc cap. à n. 33. Addo nunc I. quando à plerisque concluditur, atque à Sacra Congregat. Concilii non minus quam Sacra Congregat. Episcoporum resolutum est, Episcopum, habentem pingues redditus, non posse subsidium charitativum exigere, juxta Card. Petram ad *Constit. Apostol. tom. 4. pag. 343. num. 12.* non esse aded rigorosè procedendum, ut Episco-

pus censeatur dives ad hunc effectum, statim ac constet habere congruam sustentationem, vel aliquid amplius: nam, si id sufficeret, vix aliquando locus foret hujusmodi subsidii, ex quo omnes ferè Episcopi congruam habent; ultra quòd attendendum, 23 venit, quòd Episcopus non in primo statim ingressu in Diocesim mensæ suæ redditus percipere valeat, sed multoties annus elabatur, &

& nisi charitativum subsidium accipat, sæpe pro sua promotione aut propria suæque familiæ sustentatione æs alienum contrahere tenetur. Non obstante, quòd Episcopus habeat bona patrimonialia: cùm enim sustentationem congruam habere debeat ex ipsis redditibus Episcopalis mensæ, non consideratur potentia aut indigentia, quæ desumitur ex bonis patrimonialibus. Ventriglia in *praxi p. 2. annot. 25. §. 1. num. 4.* Petra d. pag. 343. num. 13.

24 II. Clericos beneficiatos obligari quidem ad contributionem pro subsidio charitativo, ita tamen, ut, si beneficium congruè sustentationi haud correspondeat, excusentur arg. cap. cum *Apostolus 6. §. prohibemus de Consib. ibi: si Præpositi subditis suis graves existant, quos in cunctis necessitatibus pastoris debent more fovere.* Petra d. l. num. 23.

25 Quin & si beneficia sint pensionibus gravata, beneficiati non tenentur contribuere, nisi pro rata fructuum, deductâ pensione: quippe cùm pars oneris redundet in pensionarium, penes quem pars commodi residet. Fagnanus in *cap. ad audientiam de Rescript. num. 86.* Petra d. l. pag. 346. num. 28. ubi refert decisionem S. Congregationis in *Tropiens. 18. Augusti. 1652.* per quam jubetur seminario contribuere, cui pensio super mensâ Episcopali erat reservata; exceptò casu, quò Sedes Apostolica pensionarium ab hoc onere peculiariter liberat. Esti cæteroquin nil interfit, an beneficiatus sit diocesanus, & degat in Diocesi, vel non: quia illi Episcopo, in cujus Diocesi situm est beneficium, charitativum subsidium, velut onus reale, præstare obstringitur ex resolutione Sac. Congregat. die 2. Decembr. 1673. Petra *dict. pag. n. 25.*

III. quantitatem hujus subsidii non esse determinatam, sed in *cit. cap. cum Apostolus 6. §. prohibemus* solummodò requiri, ut sit moderata. Eòdemque sensu Sacra Congregatio apud Card. Petram pag. 445. n. 18. in *fin. propositò dubiò in Germanen. in casibus, quibus est permisso exigere charitativum subsidium, quanta debeat esse illius quantitas?* Rescripsit: esse *arbitrariam pro qualitate indigentia, dummodò moderatam & non onerosam.* In 29 deque altera resolutio præfatæ Congregat. apud Barbosam in *Summa Apostol. decis. verb. subsidium num. 2.* ubi respondit, *servandum esse solum, accipiendâ est, quando res in eodem statu permanet, eadèdemque occurrunt circumstantiæ, indigentia videlicet Episcopi, causæque subsidium postulandi.* Petra d. l. n. 19.

Neque adversatur *Extravag. vas electionis 30 de Consib. inter commun. ubi in §. præmissis non procul à fine Benedictus XII. in eadem quantitate vult exigi subsidium, quam antea assignaverat pro procuracione canonica, Episcopis in visitacione solvendâ.* Ut enim nihil memorem, ex non paucorum opinione d. *Extravag. aut non receptam, aut usâ contrariò abolitam esse: cit. Petra d. num. 18.* sagaciter advertit, illam *Extravag. in qua determinatur quantitas procuracionis, post Concilium Tridentinum non amplius procedere, dum in sess. 24. de Reformat. cap. 3. statuit, esse in optione eorum, qui visitantur, si malint solvere id, quod erat ab ipsis antea solvi, certâ pecuniâ taxatâ, consuetum; an verò prædicta vidualia ministrare; salvò item jure conventionum antiquarum, cum Monasteriis, aliisve locis piis, aut Ecclesiis non-parochialibus in toto, quòd illarum permaneat.*

CAPUT II.

De Juribus Parochialibus.

SUMMARI A.

1. Olim non licebat cadavera sepelire in Ecclesiis.
2. Postea immutatum est.
3. Non tamen concessum est, sub altaribus simulare corpora.
4. Nec prius consecrari potest altare, quam corpora exhumentur.
5. Cadavera infra terram in tumulis sepelienda.
6. & seq. S. Pontifices sepeliuntur in conditoriis elevatis super terram.
7. & seqq. Discurritur questio, in quo loco sepeliendus sit, qui non potest sepeliri in Ecclesia

à se electa? 11. & seqq. Agitur de portione canonica. 15. & seqq. Positæ jus patronatus reservari in Ecclesia Collegiata? Rationes pro negativa. 22. Prærogativa temporis immemorialis. 23. & seqq. Ostenditur, quòd solus fundator, constructor, aut donator Ecclesie ejusque filii & descendentes elevari sint ab Ecclesia; 26. & seqq. Non verò extraneus, ad quem jus patronatus aliò titulo finis devolvitur.

QUÆSTIO I.

Licetne defunctorum corpora in Ecclesiis sepelire?

1 Olim non licuisse, ostendit Eminentiss. Petra tom. 2. pag. 191. & inter alia in num. 10. allegat decretum Pelagii II. de Anno 580. ita sonans: *isem placuit, ut corpora*

defunctorum nullò modo intra basilicam sepeliatur, sed, si necesse est, foris circa murum basilicæ. Postea, relaxatò rigore, primùm illustribus personis, deinde etiam, ad removen-

vendam occasionem scandali, & confoven-
dam fidelium devotionem omnibus indistin-
ctè permiffum est, habere vel eligere sepul-
turam in ipsis Ecclesiis per *cap. ubicunque* 6.
cap. placuis 7. XIII. q. 2. *cap. fraternitatem* 3.
cap. ex parte 5. *cap. cum liberum* 6. de Sepul-
tur.

- 3 Manet tamen adhuc antiqua prohibitio,
ne cadavera sub altaribus aut eorum scabel-
lis sepeliantur per *d. cap. praeipiendum* 13. XIII.
quasi 2. in f. Gonzalez ad *cap. fraternitatem*
num. 5. debereque trium cubitorum distan-
tiam inter altaris scabellum & ostium sepul-
chri intermediare, tradit Pignatell. *tom. 4.*
consult. 32. num. 5. quia videlicet in primitiva
Ecclesia altaria super corpora Sanctorum,
Martyrum erigebantur; ideoque contra san-
ctitatem loci pugnare videtur, ut alia cor-
pora sub altari vel propè altare tumulentur.
- 4 Petra *d. l. pag. 192. num. 12.* Hinc altare,
super aliqua sepultura fabricatum, nequit
consecrari, nisi priùs cadaver extrahatur;
atque, ut S. Congregatio die 13. Sept. 1593.

QUÆSTIO II.

*In quo loco sepeliendus sit, qui elegit sepulturam in aliqua Ecclesia, in
qua ob impedimentum sepeliri nequit?*

- 8 Pignatell. *tom. 4. consult. 175. num. 11. &*
13. putat, esse sepeliendum in Ecclesia
Parochiali. At Card. Petra *d. ro. 2. pag. 199.*
num. 32. putat, in casu, quò adfunt conjectu-
ræ, quòd defunctus ab initio voluerit sepe-
liri in certa Ecclesia non-parochiali, & po-
steà, mutata intentione, elegerit aliam, in
qua ob impedimentum sepeliri nequit, sic tu-
mulandus in prima: cum enim constet, quòd

declaravit, altaria, sub quorum pradellis cada-
vera sunt sepulta, licet propterea consecrationem
non amittant, tamen debent interdici, donec di-
cta cadavera vel altaria per ipsa in alium defo-
ratur locum. Petra *d. num. 12.* Samuel-
lus de *Eccles. sepult. tract. 1. disp. 3. contr. 8.*
concl. 3. & 6. Monacelli in *formul. leg. pract.*
p. 3. tit. 3. form. 6. num. 10.

Ultra hæc sepulturæ aperiendæ sunt in
fra terram, & deposita seu conditoria cada-
verum in tumbis profundis collocanda, eo-
rumque operimenta debent esse æqualia
cum solo Ecclesiæ. Ita Pignatell. *d. ro. 4.*
conf. 48. num. 1. solis Summis Pontificibus eà
prærogativâ competente, ut ipsorum corpo-
ra sepeliantur in conditoriis elevatis supra
terram, & in parietibus affixis, ut videre est
in Basilica Vaticana. Petra *d. l. pag. 193.*
num. 13. qui nequidem personis Regalibus
hanc præminentiam indulget, in exem-
plum assumens Christinam Sueciæ Reginam,
quæ in eadem basilica sub terra sepulta
fuit.

Ecclesiam parochialem excludere voluerit;
justè præsumitur, ipsum potius voluisse sepe-
liri in prima Ecclesia electa, si, eveniente
impedimentò, in altera prædilecta sepeliri
non possit. Alioquin, ubi nullæ sunt
conjecturæ pro prima Ecclesia, indubiè præ-
valebit sententia Pignatelli, utpote quæ pro-
piùs accedit Juri Communi, vi cujus jus sepul-
turæ pertinet ad Ecclesiam parochialem.

QUÆSTIO III.

Cui debeatur portio canonica, seu quarta funeralium?

- 11 Attingimus in hoc *cap. num. 64. & seqq.*
Largius excurrit Samuel. de *Eccles. se-
pult. d. tract. 1. disp. 3. contr. 9. & seq. item*
12 disp. 4. per tot. Solummodò prætereunda
silentiò non videtur dispositio Concilii Trid.
sess. 25. de Reform. cap. 13. ubi decernit sancta
Synodus: quibuscumque in locis jam ante annos
quadragesima quarta, qua funeralium dicitur, Ca-
thedrali aut Parochiali Ecclesia solita esset persol-
vi, ac postea fuerit ex quocunque privilegio aliis
Monasteriis, hospitalibus, aut quibuscumque lo-
cis piis concessa, eadem posthac integro jure & ea-
dem portione, qua antea solebat, Cathedrali seu
Parochiali Ecclesia persolvatur: non obstantibus

concessionibus, gratiis, privilegiis, etiam Mar-
tino magno nuncupatis, aut aliis quibuscumque.
Concludit exinde Matthæucci in *Officiali Cu-
ria Eccles. cap. 42. num. 7.* ad hoc, ut Regu-
lares teneantur ad quartam funeralium, ne-
cessarium esse, quòd Monasteria ipsorum
fuerint erecta quadraginta annis ante Conci-
lium, & quòd totidem annis solvere contue-
verint; allegatis in *num. 8.* pluribus Sacræ
Congregat. Conc. declarationibus. Quæ
verò ordinatio hac in re emanaverit à Benc-
dicto XIII. pro Italia & Insulis adjacentibus,
videri potest in *Appendice Concilii Romani*
pag. no. 151. & seqq.

QUÆSTIO IV.

*Possitne jus Patronatûs acquiri in Ecclesia Collegiata vel
Conventuali?*

- 15 Non cadit sub dubium, quòd jus Patro-
natûs acquiri possit in tali Ecclesia quo-

ad alios effectus; sed tantum in quæstionem
deducitur, an jus nominandi seu præsentan-
di

- di Prælatum illius Ecclesiæ patronus conse-
quatur, quando in limine foundationis id sibi
reservat? Possit enim fundatorem hoc
jus sibi reservare, accedente consensu Episco-
pi, tradiderunt non solum aliqui ex antiquo-
ribus, sed etiam ex recentioribus docent.
Gonzalez ad *cap. sacrosancta de Elect. num. 8.*
Barbosa ad *cap. nobis 25. de Jure Patron. n. 5.*
vers. licita &c. Piton. *tom. 2. in parerg. ad*
discept. 4. pag. 6. sub num. 39. & seq. ubi testa-
tur, usque ad annum 1500. viguisse opinio-
nem, quòd non requiratur beneplacitum.
17 Apostolicum: quia nimirum honestæ con-
ditiones in prima foundatione permiffæ sunt;
qualis etiam censetur facultas præsentandi
Prælatum in Ecclesia Collegiata aut Conventu-
ali, utpote quæ non importat jus eligendi,
Laicis aliis interdicitum, sed nudum jus de-
signandi personam ad beneficium qualifica-
tum, Laicis quoque in aliis Ecclesiis non-
collegiatis de Jure permiffum; non atten-
tò, quòd in tali hypothesi tollatur electio,
dum neque necessum est, ut Prælaturæ per
electionem conferantur; neque insolitum,
ut electio penitus aboleatur, uti constat ex
19 *Reg. 2. Cancellar.* Econtra non posse funda-
torem sibi reservare jus præsentandi Præla-
tum, nisi beneplacitum Apostolicum acce-
dat, tenent Card. de Luca de *Jure Patronat.*
*disc. 55. num. 14. & disc. 73. num. 6. & de Præe-
minent. disc. 40. n. 11.* Amyden. de *Stylo Da-
tar. lib. 1. cap. 15. §. 15. num. 157.* Lotter de
Re benefic. lib. 2. quasi. 6. n. 56. & seqq. Card.
Petra *tom. 3. pag. 63. n. 18.* eoque teste per-

petud tenuit Rota, signanter in *divers. p. I.*
decif. 268. num. 7. & in recent. p. I. decif. 53.
n. 1. & apud Emerix decif. 1271. n. 8. Quo-
rum ratio est: partim quia isthæc reservatio
est contra Jus, quòd non tantum Laicos re-
pellit ab electione activa *d. cap. nobis 25. de*
Jure Patronat. d. cap. sacrosancta §. 1. de Elect.
sed etiam vult, ut hoc ipso, quòd Ecclesia
sit collegiata, sit etiam electiva per mox
cit. *cap. sacrosancta*; sicque non potest ab alio,
quam Papa, qui supra Jus est, admitti: par-
tim quia erectio Ecclesiæ Collegiatae juxta
opinionem cit. Petrar. *d. tom. 3. pag. 69. n. 8.*
& aliorum non spectat ad Episcopum, sed
ad solum Pontificem; adeoque reservatio-
nes & conditiones, foundationi adjunctæ con-
tra ejus naturam, nequeunt ab alio, quam
Summo Pontifice, approbari.

Nihilominus cit. Petrar. *pag. 64. num. 28.*
concedit, privilegium seu beneplacitum Apo-
stolicum pro jure præsentandi Prælatum pos-
se præsumi ex lapsu temporis immemoralis
aut centenarii, vel ex fama tituli cum qua-
dragenaria, uti docuerunt Vivian. de *Jure*
Patron. p. I. lib. 3. cap. 1. num. 51. Amyden
d. §. 15. num. 156. Rota *decif. 366. coram Pu-
teo lib. 2. & decif. 1058. à num. 1. coram Pe-
nia,* ubi satis indicatur, sufficere probatio-
nem foundationis aut dotationis ex authenti-
co documento; & in antiquis per famam
probari dictum privilegium, ita ut, con-
currente antiquitate temporis cum observa-
tia præsentationum, omninò præsumatur, ad-
struit Rota in *rec. p. 7. decif. 29. n. 10.*

QUÆSTIO V.

*Utrum quilibet Patronus debeat ab Ecclesia Patronata
alimentari?*

- 23 Inspiciendò textum in *cit. cap. nobis 25. de*
Jure Patron. videtur indistinctè id asseren-
dum ob verba fin. & si ad inopiam vergat, ab
24 Ecclesia ei modeste succurratur. Consideran-
dò tamen alios textus, puta in *cap. contra 29.*
cap. filiis 31. XVI. q. 7. soli fundatores, con-
structores, & dotatores Ecclesiarum, eorum-
que filii & descendentes hanc prærogativam
habere censentur, ut, si propriis mediis de-
stituantur, ab Ecclesia possint alimenta pete-
25 re; ipseque textus & contextus in *d. cap.*
nobis loquitur de fundatore, nec aliter con-
cedit jus alimonie, quam sicuti in *sacris est*
26 *constitutum canonibus.* Unde, si extra-
neus per successionem, donationem, aut
prescriptionem jus Patronatûs acquirat, jus
alimonie ipsi non deberi, concludunt Lot-
ter de *Re benefic. lib. 2. quasi. 5. num. 4.* Ven-
triglia in *praxi tom. 2. annotat. 1. §. 4.*

num. 19. Cardin. Petra *tom. 2. pag. 541.*
num. 28. Rota in *recent. p. 2. decif. 454.*
num. 2. Nam, quia jus alimonie prin-
cipaliter radicitur in obligatione gratitudinis,
quam subit Ecclesia, de non esse ad esse
per foundationem, constructionem, & do-
tationem elevata; respectu extraneorum,
qui beneficium tam æstimabile non exhi-
buerunt, effectum & operationem non sor-
titur: quemadmodum etiam in Jure Civili
constitutum est, ut beneficium competen-
tiæ, quòd habet donator, ne ultra, quam
salvâ sustentatione potest, conveniat,
ad ipsum solum, à quo donatarius benefi-
cium accipit, coarctatur *l. inter eas 19. §. 1.*
l. sciendum 25. ff. de Re jud. aut, quòd aliqui
volunt, ipsius liberos *arg. l. etiam fi-*
lios 18. in princ. ff. Solutio
matrim.



CAPUT III.

De Jure Decimandi.

SUMMARI A.

1. & seqq. Describuntur novalia. 4. Manent talia, quamdiu extat memoria prime culture. 5. Eorum decima à Politicis adscribuntur Principi terra. 6. & seq. Sed perperam. 8. Spectant ad Parochum. 9. Nisi sint improprie talia. 10. & seq. Nec tantum per primum triennium, sed perpetuo debentur Parocho. 12. & seq. Confirmatur antiqua sententia, quod persona Ecclesiastica, habens ex privilegio jus decimandi, novalium decimas exigere possit. 14. & seq. Idem statuitur, si districtus aliquis limitatus magis excolatur. 16. & seqq. Auctoritate Panormitani & aliorum stabilitur. 19. & seqq. An decima ex fundo frumentario debeantur, si ad tales fructus applicetur, qui à decimis immunes sunt? Rationes pro affirmativa. 22. & seq. Ra-

tio pro negativa. 24. & seqq. Satisfit primum rationibus. 27. & seq. Referunt opinio, obligans Parochum ad sumptus pro custodia segetum. 29. & seq. Defenditur adversa sententia. 31. Resp. ad fundamentum antecedentis. 32. An Parochus de resarcitione expensarum aliquid pretendere valeat? 33. Limitatur anterior sententia. 34. & seqq. Edocetur, ad quem oblationes pia spectaverint ante parochiarum erectionem. 38. Post erectionem spectant ad Parochum. 39. Servat Episcopo portio canonicam. 40. Consideratur in iis precipue voluntas offerentium. 41. Si Capella habeat specialem rectorem titulum, pertinet ad ipsum. 42. & seqq. Explicatur, quid obtineat in Ecclesiis Regularium.

QUÆSTIO I.

Quid sint novalia & novalium decime?

NOvalia vulgò Neubruch sive Neureuth descripta & divisa sunt in hoc cap. num. 26. & seqq. sunt nempe agri. de novo ad culturam redacti, vel nunc primum præcis, de quibus non extat memoria, quòd aliquando culti fuerint. Eminentiss. Petra tom. 2. pag. 476. num. 53. Vel, ut effert Jus Bavaricum tit. 28. art. 13. Novalia sunt terræ, in quibus hætenus nihil cultum fuit, & in quibus nullum indicium paræ, falsi, vel lyri appareat, da man weder Furch noch Strang gesehen. Illustr. D. Baro Schmid in Comment. ad tit. art. num. 1. Unde, si quæ loca sint, quæ olim culta fuerunt, sed propter suam sterilitatem per multos annos

deserta, de quibus extat integer tit. in Cod. de omni agro des. postea tamen ad culturam redigantur, inter novalia haud numerantur. Idem ibid. Wehner in præf. observat. verb. Noval-Zehend vers. hinc tamen etc. Addatur Besold. in thes. præf. verb. Neubruch. Quòd verò aliquorum opinio circumferatur, agrum dici novalem tantum pro eo anno, quòd primò ligone eradicatur, & conferitur, at, si imposterum iterum colatur, novalis esse desinat, in eo gravissimè errant, ait Schmid d. num. 1. cum ager, qui colceptus est, novalis dicatur, quamdiu memoria eradicationis & primæ culturæ extat. Wehner d. l. in pr.

QUÆSTIO II.

Ad quem spectent decimæ novalium?

NON desunt Authores Politici, qui decimas novalium Principibus jure Superioritatis aut Suprematûs tribuunt; eâ inducti ratione: quia loca deserta & inculta, instar bonorum vacantium, ad Supremum Principem aut Territorii Dominum spectant. Sed hanc opinionem D. Baro Schmid ad Stat. Bav. d. tit. 28. art. 13. num. 2. vocat hæreticam. Quidquid enim sit de illa doctrina, quòd loca deserta & inculta cedant Principi, quam non omnes suò calculò dignantur, sed primò occupanti adscribunt: mala hinc inferuntur consequentia ad collectionem decimarum: quoniam altior adhuc est Dominus, nempe Dominus cœli & terræ, cui Domini terrestres meritò se submittere debeant, ad

quem principaliter, & ejus Ministros spirituales per participationem omne jus decimarum jure supremi Suprematûs pertinet cap. tua nobis 26. cap. cum non sit 33. de Decim. Itaque apud bonos Christianos & Catholicos certum est, decimas novalium de Jure Communi ad Parochum spectare cap. quoniam 13. cap. cum contingat 29. d. e. suppositò, quòd sermo fiat de novalibus propriè talibus: quia de novalibus improprie talibus regula est alia, ex cap. commissum 4. & cap. cum in tua 30. eod. tit. desumpta, quòd ad illum pertineant, qui aliàs in eo loco aut agro jus decimandi habuerat. Non me præterit, de Jure Bavarico dist. 10. art. 13. decimas novalium solummodò per pri-

primum triennium Parocho assignari, eoque transactò illi competere, cui aliàs ibidem. 11. jus decimandi competit. Verum hoc ipsum est, quod memoratum D. Baronem Schmid num. 4. & seqq. anxium reddidit, quomoddò statutum illud defendi possit. Fateatur siquidem, hanc dispositionem esse Juri Canonico è diametro contrariam; & proinde necessariò confugiendum ad distinctionem, ab initio tit. 28. num. 1. præmissam, quòd potius sit dispositio declarativa antiquæ consuetudinis, quàm positiva & præceptiva. 12. Quid Juris sit de privilegio Apostolico, vi cujus decimæ generaliter aut indefinitè fuerunt concessæ, an etiam Decimas Novalium comprehendat? Latè discussum est in hoc cap. à num. 64. sicut & de præscriptione actum in lib. 1. tract. 2. cap. 4. à num. 430. 13. Neque attendendum ad ea, quæ recentè opposuit P. Pichler ad tit. de Decim. num. 26. quippe non nova, sed jam priùs in cit. cap. à nobis allata, eversæque sunt; peculiariter verò ostensum, textum in cap. dudum 31. de Privileg. extra oleas versari, dum loquitur manifestè de exemptione à decimis Novalium, in quarum possessione existebant alii, non factâ mentione de ejusmodi possessione: sicque privilegium illud meritò pro suspecto & subreptitio fuit habitum, cum S. Pontifex non soleat derogare juri tertii, nisi specialiter exprimat. 14. Porrò, si quis ex privilegio aut alio justo titulo jus decimandi obtinuerit in certo aliquo & limitato districtu, in quo occurrunt terræ cultæ & incultæ, ac incultæ successive ad culturam & fructus decimabiles reducuntur, ad ipsum & non ad Parochum pertinent decimæ partium, noviter cultarum, prout docent Rebuffus de Decim. q. 14. n. 31. vers. fallit quando etc. Gutierrez Canon. Quæst. lib. 2. cap. 21. num. 118. & 125. Wernde von Zehend & Necht lib. 4. cap. 4. consl. 3. im 15. Tabl aber 10. Aut enim ejusmodi novæ culturæ propriè dicta novalia non sunt, sed extensiones aut meliorationes spatii, ante

hæc jam culti & frugiferi; aut jus decimandi, in modum servitutis, afficit totum fundum & quamlibet ejus partem, estque totum in toto & totum in qualibet ejus parte arg. l. si cui 9. ff. de Servit. l. cum fundus 12. ff. Commun. præd. nec debet una eademque substantia diverso jure censerî cap. cum intra 30. de Decim. Atque hujus opinionis est etiam 16. Panormitanus lib. 2. consl. 71. num. 1. & 2. ubi ita discurre: in cap. 1. & cap. quid per novale de Verb. significat. novale dicitur ager, de novo ad culturam redactus, de quo non est memoria, quòd aliquando fuerit cultus: sed iste ager, de quo quaeritur, non potest dici, quòd de novo fuerit ad culturam redactus, cum pro parte esset ab antiquo cultus: ergo non potest dici novale, & per consequens sumus extra casum cap. cum contingat, in quo nimirum novalium perceptio tribuitur Parochis. Ager enim pro parte cultus non potest dici, quòd de novo præciditur, licet nunc pars non præcisa præcidatur, ad hoc, quod in simili legitur & notatur in Clem. in plerisque de Elect. præsertim cum Jura requirant, quòd non sit memoria, quòd ager ille aliquando fuerit cultus, ut in suribus proximè alligatis: quod non potest dici de agro, qui pro parte erat cultus. Hæc Panormitanus; ex quibus conclusit, jus decimandi, in parte frugifera seu culta præscriptum, etiam in parte altera & non frugifera, sed noviter exculta simul præscribi; eumque præter Authores, in num. 14. citatos, sequuntur Balbus de Præscript. 2. p. princip. q. 2. n. 16. & seq. Barbosa J. E. U. lib. 3. cap. 26. §. 2. num. 61. Fagnanus in dist. cap. cum contingat num. 15. de Decim. Pirhing ad eund. tit. num. 115. Wiestner ibid. n. 111. Clariss. P. Schmalzgrueber ibid. n. 49. quia pars noviter culta imitatur naturam prædii, cui adhæret, & cujus est pars; sicut & possessio partis comprehendit partem connexam, & præscriptio partis ad alteram partem & ipsum totum extenditur; prout alibi largiùs declaratum est.

QUÆSTIO III.

An decimæ ex fundo frumentario debeantur, si locus frumenti pro aliis fructibus producendis applicetur, qui ex consuetudine provincie à decimis immunes sunt?

CLariss. D. de Bassis in secunda Semicent. quæst. forans. controuv. 29. num. 4. narrat, accidisse casum, ut aliquis in agro suo, derelicta seminatione frumenti lupulos coleret; & alius quidam insignem partem agrorum suorum, situ loci & occasione aquarum id suadente, in lacum effoderet: quaesitum fuit, an hi domini ex fructibus lupulorum & piscationum ad decimas sint obligati, cum ex consuetudine illius provincie neque ex lupulis, neque ex piscationibus decimæ solentur. P. Schmier Supplem. Jurispr. Canonico-Civili.

vantur? Ratio dubitandi prima est: 20. quia, si quis agros suos in prata, vel prata in agros convertat, ex communi Canonistarum opinione, ejusmodi mutatione non obstante, ad decimas fructuum est obligatus; valdeque durum apparet, ut per factum ejusmodi proprietarii conditio Decimatoris fiat deterior per textum in cap. commissum 4. de Decim. Altera, quòd, licet mutetur 21. terræ qualitas, non tamen mutetur substantia; ipsaque terra, quæ ab antiquo decima-